

16. Ἐν οἷς ἐστὶ δυσνόητά ἴνα, ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀσήμαντοι σρεβλάσιν) Chemn. in Exam. Conc. Trid. p. 67. P. I. ita ad h. l. commentatur: Petrus non dicit, Epistolas Pauli ita esse conscriptas, ut difficultate & obscuritate suâ Lectoribus *præbeant occasionem ad perditionem*, utitur enim articulo non *fæmineo sed neutro*, significans *res ipsas* de quibus Paulus loquitur, (in specie Articulum de extremi iudicii processu, de Consummatione sæculi, vid. vers. præc. de Anti-Christo &c.) quia positæ sunt longè suprâ & extra omnem conspectum sensuum & rationis, non posse rectè intelligi ab hominibus *carnalibus*, sed opus esse illuminatione Spiritûs S. Nec dicit, *omnia* dogmata in Epistolis Pauli esse *δυσνόητα*, sed *quædam*, & illa non dicit *per se* præbere Lectoribus occasionem ad perditionem: sed homines, inquit, indocti & parum confirmati, *depravant* illa ad suam ipsorum perditionem. Utitur verbo valde emphatico, *σρεβλάσιν*, quod à *torturis* sumtum est. Sicut enim adhibitis tormentis, sæpè de innocentibus habentur quaestiones, ut aliquid aliud quam res ipsa se habet, pro affectu torquentium ab illis exprimatur: ita Petrus dicit Scripturæ quasi tormenta adhiberi, quibus à genuinâ, simplici & apertâ sententia distorqueatur, ut illud nobis loquatur, quod ante lectionem præsumpsimus intelligendum, sicut Hilarius loquitur. Ergò per se, nisi contorqueatur, non reddit nisi unam, simplicem, veram & salutarem sententiam. Hanc verò fortunam, dicit Petrus, Epistolis Pauli communem esse cum reliquâ Scriptura. Inquit enim: *Sicut & reliquis Scripturis*. Num verò propterea dehortatur Petrus à lectione Scripturæ? Nihil minus: sed causam & finem illius commonefactionis ponit, cum inquit: Vos igitur dilecti, quia præmoniti estis, cavete, ne simul cum aliis nefariorum errore abducti, excidatis è propria statione.

17. Φυλάσσεσθε) Hebr. ירשנוה

IN I. EPIST. CATHOL. D. JOHANNIS.

CAP. I.

Vers. 1.

Ⓜ Εἰδᾶν) spectare, observare, plus est quam ὀρεῖσθαι, respicit
 ירשנוה vel ירשנוה Y 3. Καὶ